

scribit : *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi*, v. g. tu ferto proximi choleram et verba cholericæ, ille ferat tuam melancholiam : tu fer illius tarditatem, ille ferat tuam præcipitantiam : quod alteri deest, tu suppleto. Ad hæc leves injuriæ vel offensæ ferendæ, dissimulandæ et remittendæ sunt inter cives Christi : publica item utilitas privatæ anteferenda.

Contra civitas diaboli est, ubi discordia : vel si est ibi concordia aliqua, est impellentium ad malum et ducentium ad diabolum.

V. Timorem Dei habebant. Repleti enim timore, dicebant : *Quia vidimus mirabilia hodie : et : Quia si nunquam sic vidimus*. Timuerunt autem ob potentiam Christi, miraculo comprobata, indeque colligebant : Si huic tanta ad sanandum est potentia, utique non minor erit ad puniendum. Ex una igitur parte spem in illum concipiebant, tamquam in optimo et humanissimum medicum : ex altera timorem, velut in malorum vindicem. Et hæc est Christi civitas, in qua inter spem et metum vivitur : hoc est enim aptissimum medium ad perseverandum in Dei gratia, facitque homines de salute sua certiores. In ejus rei mysterium, Abraham, Gen. XII. *Tendit tabernaculum et habitavit inter Bethel*, id est, domum Dei, et Hai, id est, abyssum seu vitam vallium ; ab occidente habuit Bethel ; ab oriente Hai. Sic enim quis fidelis habitare debet inter spem cæli et metum gehennæ. Cogitet se constitutum inter beatissimam et miserimam æternitatem, nec se certo scire, utram habiturus sit. In occasu seu adversitate cogitet Bethel et domum Dei : in ortu seu prosperitate cogitet Hai sive gehennam. Porro timor iste non debet esse puerilis et humanus, sed divinus et salutaris, ut videlicet timeamus offendere Deum, timeamus ejus judicia et novissima.

E contra in civitate diaboli vel est desperatio, vel noxia præsumptio de certitudine salutis, uti est apud hæreticos hujus ævi.

VI. Zelum honoris divini habebant. Nam imprimis paralyticus curatus : *Abiit coram omnibus in domum suam, magnificans Deum*. Deinde, reliqui omnes : *Magnificabant et glorificabant Deum*, Marci II. et Luc. V. Denique, etiam Scribæ hujus civitatis zelum honoris Dei præ se ferebant ; siquidem a blasphemia sese abhorrere monstrabant, quando intra se dicebant : *Quid hic sic loquitur ? Hic blasphemat*. Tametsi vero in hoc judicio errabant : blasphemiam tamen hostes et divini honoris zelatores se ostendebant. Talis ergo est Christi civitas, in qua Deus glorificatur et zelus honoris divini viget, blasphemiam vero exulat ; vel si auditur, cum horrore auditur. Nam,

ut argumentatur Maach. c. I. *Filius honorat patrem, et servus dominum suum : si ergo pater ego sum ; ubi est honor meus ? Et si dominus ego sum ; ubi est timor meus ? Quid est ergo utilis Christianus*, (ait S. Ambrosius in hunc locum) *semper debet Patri ac Domino suo laudes dicere et in ejus gloriam omnia procurare*, ad instar videlicet lusciniæ aliarumque avium, quæ mane et vespere Deum laudant, uti docet ibid. Ambrosius. Et vero si omnia Deum laudant, sive quæ in civitate ejus celesti sunt, ut angeli et beati, sive quæ in sublunari, ut creaturæ omnes suo modo : cur non assidue laudet Deum et homo ? Et quis ferat a solo homine Deum blasphemari ? Non tulit in cælo Michael Luciferum blasphemum, dicentem : *Similis ero Altissimo*, sed dejecit illum in abyssum. Non tulit bonus in cruce latro, blasphemari Christum a socio, sed redarguit eum graviter et publice. Ergo et nos fervente zelo abhorreamus a blasphemia, et eorrigamus blasphemantes, aut certe fugiamus. Roberto Francorum regi, filio Hugonis Capeti, aliquando in civitate Aurelianensi pro pace et regni sui tranquillitate oranti Christus apparuit et responsum dedit, quod pacem in regno non haberet suo, donec blasphemias et crimina notoria extirpasset, refert Nicolaus Boerius, decisione CCCI. In Hispania non solum quæstiones de hæresi, sed etiam blasphemiam et voces in Deum et sanctos contumeliosæ ad visitationem deferuntur. « Sic Michael Bario Navarræus, inquit Florimund. de orig. hæres. lib. V. c. VI. et de rege suo bene meritis, ordinis S. Jacobi commendator cum aliquando : Por vida de Dios, id est, per Dei vitam jurasset, triginta et unum dies in compedes fuit conjectus. Qua de re cum apud regem esset questus, rex filium suum se ipsi socium additurum respondit, qui catenarum pondus dimidiatum cum ipso ferret. Ita enim de se meritum esse, ut lubenter ipsum juvare velit : hæc vero in re nullam aliam gratificandi rationem despiciere. Et conclave quidem carceris hic habuit aureis ornatum et cætera omnia non minus quam extra carcerem magnifica : compedes tamen ac catenas non minus duras ac graves, quam de vulgo quis ferre cogebatur. » Horum igitur exemplo, si de civitate Christi esse volumus, vitemus et extirpemus blasphemias, quæ ad civitatem diaboli pertinent et sunt lingua damnatorum. Ad extremum, auditores, date operam quæso, ut hæc vestra civitas dicatur et sit Christi civitas. Sic enim et Christus erit Deus vester ; et quid tunc nobis deerit ? Quid ipse nobis non impertiet ?

CONCIO II.

PARALYTICI SECUNDUM ANIMAM.

I. Mortales omnes post lapsum protoplastorum. — II. Peccatores omnes. — III. Avari et illiberales. — IV. Pigri et negligentes. — V. Animæ purgatorii.

THEMA.

Ecce offerebant ei paralyticum, jacentem in lecto.
Matth. IX.

Mira oblatio, auditores ; stupendum munus, quod Capharnaitæ in hod. evangelio offerunt Christo hospiti et inquilino suo : homo paralyticus, manuum et pedum omniumque membrorum usu destitutus, jacens in grabato. Quid agitis, o cives ? Nonne Deus in lege vestramandavit vobis ne offeratis ei hostiam debilem et defectibus obnoxiam ? Nonne ait per Malachiam, cap. I. *Si offeratis claudum et languidum, nonne malum est ? Offer illud duci tuo si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum*. Mira est igitur hæc oblatio, sed grata Christo Domino, cujus cibus est conversio peccatorum. Hæc illius venatio, hæc ferina caro est, qua libenter vescitur cælestis noster Isaac et de qua dixit aliquando Dominus discipulis : *Ego habeo cibum manducare, quem vos nescitis*, animam videlicet mulieris Samaritanæ, secundum animam debilis et paralyticæ, cujus salutem tunc quærebat, Joan. IV. Videntur Capharnaitæ Dominum et medio tollere, ac quodammodo devorare omnes languentium ægritudines ; idcirco hodie adventanti in civitatem suam efferunt paralyticum, velut epulum gratissimum. Recte equidem sed sciendum est, offerendos esse Domino infirmos, dum versatur in civitate nostra, dum adhuc in præsentis sæculo expectat peccatores ad penitentiam : nam in altero sæculo non suscipiet eos. Ibi enim dicit, quod apud Malachiam citatum mox subjecit : *Non est mihi voluntas in vobis, et munus non suscipiam de manu vestra*. Ergo auditores, afferamus quæso ad Christum languidos et languores nostros, offeramus ei paralyses nostras, dum nobiscum hic moratur. Porro nunc videamus qui secundum animam paralytici habendi sint.

I. Paralytici sunt mortales omnes post lapsum protoplastorum. Cum enim primi nostri parentes perdidissent justitiam originalem, quæ velut aureum quoddam frænum cohibebat omnes animæ passiones et constringebat juxta limites suos subiciebatque rationi, uti et carnem spiritui : tunc ablato fræno illo inciderunt una cum posteris suis in miserabilem quemdam languorem, para-

lysin ac dissolutionem omnium membrorum, sensuum, passionum ; quæ velut equus effrænis jugum rationis excutere et libidini suæ indulgere cœperunt, sæviuntque etiamnum, nec nisi magnis conatibus compesci ac frænari possunt. Vidit hoc vel ipse Aristoteles qui, l. I. ethic. ostendit vitiosos istos affectus ita se habere ad imperium rationis et voluntatis, ut se habent membra paralytica ad voluntatem movere ea cupientis, non enim ea quando vult et quomodo et quantum vult, movere potest : *Plane*, inquit, *quemadmodum resoluta corporis membra si ad dexteram movere volueris, e contrario in sinistram deferuntur, sic quoque in anima contingit. In contrarias enim partes incontinentium appetitiones feruntur, etc.* Queritur de hoc apost. ad Rom. VII. *Non quod volo bonum, inquit, hoc facio ; sed quod odi malum, illud facio*, q. d. ego cupio movere membra et passiones meas in dextrum, secundum legem rationis, et illa cadunt in sinistrum, secundum legem concupiscentiæ, carnalis et bestialis. Ac quemadmodum membra paralytica, si ad opus, laborem vel artem exercendam adhibere volueris, perpetuo aberrabunt et vix recti aliquid facient : ita vires animæ paralyticæ ad malum agendum faciles et pronæ sunt, ad bene autem agendum difficiles et ignavæ. Cujus etiam rei figuram videre est in Agar ancilla, et Sara uxore Abraham. Agar euim cito et facile peperit prolem hero suo, sed Ismaelem malum et immorigerum ; Sara vero tarde et difficulter prolem bonam et morigeram, Isaacum, Gen. XVI. et XIX. Agar sumus in malo, Sara in opere bono.

Sed quod huic paralysi remedium ? Respondimus ad hoc alibi. Breviter nunc. Per Christi gratiam reparari ad pristinum statum possumus ; ergo ad Christum ejusque Ecclesiam deferri imprimis per baptismum debemus ; deinde, surgere a peccatis per sacramentum penitentiam ; post hæc, tollere lectum nostrum, non inhærendo pristinae conversationi nostræ et cupiditatibus malis, sed imperando eis, et dirigendo quo voluerimus ; denique, eundo in domum nostram, de virtute in virtutem progrediendo et tendendo ad perfectionem illam, quam habuimus in paradiso, unde expulsi sumus ; quod per dignum et frequentem sacramentorum penitentiam et eucharistiæ usum obtinere possumus.

II. Peccatores omnes, præsertim inveterati. Paralysis enim resolutio est, faciens ut homo nequeat uti membris ab ea tactis, adeoque nec incedere, nec laborare queat. Hoc autem in hominis anima efficit peccatum ; efficit inquam ut ne passum unum versus cælum ambulare, ne minimum quidem opus cælo dignum præstare

queat. Quemadmodum Ægyptii in crassissimis illis tenebris constituti, non se poterant loco movere, atque ut Septuaginta habent: *Non surrexit ullus ex cubili suo* (quasi jacerent in lectis instar paralyticorum), metuentes nimirum, ne si passum facerent, in spectra aut præcipitia inciderent, Exod. X. ita homines in peccatorum tenebris positi nihil aliud ex se possunt, quam jacere in suis fœcibus; absque divinæ gratiæ luce surgere non possunt, ut vel unum opus meritorium faciant. Nervus enim meriti, gratia in ipsis resolutus ac præcisus est. Ægyptii in tenebris illis quasi catenis vincti aut in carcere constituti (ut habetur Sap. XVII.) nihil aliud poterant quam clamare et miserabili voce opem invocare (ut habetur Sap. XVIII.) ita peccatores delictorum suorum vinculis constricti atque inclusi non nisi opem Dei implorare possunt, mereri nihil possunt. Ægyptii si ignem, quo utimur accendebant, is: *Vel aere turbato extinguebatur vel vincebatur a crassissimis tenebris*, inquit Philo; nec dissentit Salomon, Sap. XVII. dicens: *Ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere*. Pari modo opera bona, quæ quis in statu peccati vult patrare, vel a dæmone impediuntur, vel saltem obscura et Dei favore destituta sunt, victa a peccati plusquam Cimmeriis tenebris, quæ omnia illa obtenebrant. Præ cæteris vero inventerati peccatores, paralytici censendi sunt, hoc est, dissoluti; quia timoris Dei nervis ac vinculis minime constricti. De talibus enim Jeremias ait, c. XXXI. *Usquequo deliciis dissolveris, filia vaga? q. d. quamdiu dissolutam et in omnia sceclera projectam vitam ages? Quamdiu extra te et Deum tuum evagaberis? Quamdiu omnia prata luxuria tua percurre? Atque hi non in aliquo vulgari sed in ferreo et immobili lecto stertere videntur; ejusmodi lectum ferreum novem cubitorum in longitudine et quatuor in latitudine habuisse describitur magnus ille Og, rex Basan, Deut. III. Quid enim ferreus lectus nisi peccandi consuetudo obstinata, qua se obstrictum aliquando fuisse lamentatur Aug. I. VIII. conf. c. V. « Suspirabam ligatus, inquit, non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus et inde mihi catenam fecerat et constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversa facta est libido; et dum servitur libidini, facta est consuetudo; et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quibus quasi ansulis quibusdam sibimet innexis (unde catenam appellavi) tenebat me obstrictum dura servitus. » Porro lectum illum peccatoris, præsertim libidinosi in ferreo illius Og notatum pulchre designat Alphonsus Tostatus episcopus Abulensis,*

Deut. III. quæst. III. « Og, inquit, Hebraice idem est, quod coacervans et signat peccatorem quod peccatis peccata superaddit, donec veniat in profundum malorum: peccatum enim cui per penitentiam remedium non adhibetur, mox sibi nequiores socios aggregat, ut fiat habitatio omnis spiritus immundi, maxime luxuriæ, in quo cum quis novem cubitos longitudinis et quatuor latitudinis habuerit, tamquam in lecto requiescit immobilis. Primus ergo cubitus vel gradus est, in cibis exquisitis: secundus, in dulcibus et continuis poculis, quia venter mero æstuans despumat in libidinem ut ait S. Hieron. tertius, est in spectaculis; nam ut ait Jeremias, c. IX. *Intravit mors per fenestras nostras: et oculus meus deprædatus est animam meam*: quartus, est in cantilenis lascivis: quintus, est in aromatibus, quæ Venerem provocant: sextus, est in donis et munusculis: septimus, in mollibus lectis: octavus, in temporali sociorum lætitia: nonus, in turpi usu feminarum. Habet quoque iste impudicorum lectus quatuor latitudinis cubitos: primus, est turpis cogitatio: secundus, perficiendi consensus: tertius, consequens operatio: quartus, diuturna assuefactio, quæ tandem facit hunc lectum ferreum ut a nulla bona monitione vel inspiratione superari possit. » Hucusque doctissimus Abulensis.

Nec tamen desperandum etiam in hac paralyti. Quid igitur factu opus? Tria indicat Dominus: *Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam*. Primo: *Surge* et assurge in Deum per orationem et continuam gratiæ ejus implorationem. Ita enim S. Augustinus concubinatui assuetus post crebras orationes, de conversione anxius, tandem stravit se sub fici arbore et cum lacrymis orabat: *Et tu Domine usquequo? Usquequo Domine, irasceris in finem? Ne memor fueris iniquitatum nostrarum antiquarum. Sentiebam enim me ab eis teneri*, inquit, *et jactabam voces miserabiles*. Interea audit vocem quasi e vicina domo dicentem: *Tolle lege, tolle lege*. Sustulit librum et incidit in epistolam Pauli: *Non in comessionibus et ebrietatibus: non in cubilibus et impudicitis, etc.* Unde mox animo immutatus et conversus est, ut in ejus confess. I. VIII. c. XII. Secundo: *Tolle lectum tuum*, contrarias vitis tuis virtutes exercendo: si prius te gestavit lectus, tu jam gesta lectum: si prius ebrietati studuisti, stude nunc sobrietati ac jejuniis: si prius rapuisti, nunc eroga: sic clavum clavo pelles, consuetudinem consuetudine. Tertio: *Vade in domum tuam*, per fortem, constantem et crebro repetitam animi resolutionem, quod velis a pristinis viis tuis recedere et novam inire ac pergere in domum tuam,

unde profugisti. « Quodcumque sibi imperavit animus, obtinuit, inquit Seneca, I. II. de ira, cap. XII. Quidam ne unquam riderent consecuti sunt: vino quidam, alii Venere, quidam omni humore interdixere corporibus. »

III. Avari et illiberales. Hi enim si non in aliis membris, in manibus saltem paralytici et motu destituti sunt; quorum typus fuit homo ille, qui habuit manum aridam, a Domino sanatus, Math. XII. Est enim manus avari arida, quæ succo charitatis et misericordiæ caret. Audiamus D. Chrysost. hom. XV. super epist. ad Hebr. «Manus non faciens elemosynam arida est, inquit, quæ vero etiam aliena aufert scelestas est et impura. Nullus cum talibus manibus cibum sumat, etc. » Non tibi videtur epulo ille, qui Lazaro ne micas quidem de mensa sua dedit, manus aridas habuisse? Et quoniam ipse ad Lazarum noluit extendere manum suam ut pasceret esurientem, ideo nec Abraham voluit ad ipsum extendere manum, ut refrigeraret sitiendem in ardoribus inferni; et quia mendicanti Lazaro stipem largiri noluit, mendicare tandem a Lazaro debuit: *Mitte Lazarum*; et similem catastrophem expertus est Ruffinus, vir in aula Theodosii imperatoris summæ dignitatis, sed et parvis avaritiæ ac rapacitatis, quam exercuit in iis quos gessit, magistratibus. Hic igitur cum aspiraret ad imperatoriam majestatem et jam purpuram sibi parasset ac monetam auream imagine sua insignitam, tum ecce cingitur ab Arcadii militibus et mille gladiis appetitur atque in frusta secatur. « Sed et jucundum afflicto populo spectaculum (inquit Spondanus) Ruffini rapacitatis, secta ejus dextera præbuit, cum quæ nervorum, qui movens articulos attractione vel remissione, claudi apta esset et aperiri, miles eandem pansam tendendo, mendicare Ruffinum obolum dictitaret, oblatoque palmæ obolo, tractis nervis strictisque digitis, eum a Ruffino avide acceptum significaret, » in compend. Baron. anno 393. En tibi manum aridam, quam congrue punitam. Nescit Ruffinus extendere manum ad liberalitatem, seivit contrahere ad rapacitatem: Deo igitur disponente tactum, ut resecta hæc arida manus stipem mendicaret et oblatam ludico spectaculo captaret. D. Hieronymus ait ex evangelio Nazarenorum hominem illum, cujus aridam manum Dominus sanavit, fuisse cæmentarium qui pro victu sibi parando maxime manu illa opus haberet. Apposite profecto. Nulla enim re magis indigent divites, quam manu extensa liberali, qua sibi Dei gratiam parent et ædificant in cælo æterna tabernacula. Cæmentarii ergo cum esse debeant, videant ante

omnia ut ne manus aridas habeant, quibus destruant, non ædificent suam in cælis domum, similes illi diviti, qui dicebat: *Destruam horrea mea et majora faciam*, Luc. XII. Uberes agrorum fructus ut congregaret, horrea extendit, manum non extendit: ideo horrea sua destruxit et a Deo audivit: *Stulte*. Quod si manum suam ad pauperem extendisset et ibi condidisset fruges suas, horreum sibi in cælo multo maximum extruxisset.

Igitur his Euclionibus unum hoc remedium superest quod edixit Dominus arido illi et secundum manum paralytico: *Surge et sta in medium, et extende manum tuam*. *Surge* e telonio avaritiæ et rapacitatis cum Matthæo telonario; deinde: *Sta in medio*, contentus esto aurea illa mediocritate, qua nec egeas, nec abundes; hoc in medio si steteris, nunquam tibi deerit quod tribuas; denique: *Extende manum ad pauperes*, noli ad te retrahere: *Quoniam Dominus dixit: Beatius est magis dare, quam accipere*, inquit S. Paulus, Act. XX. Causam requiris? Primo, quia dare signum est abundantiæ, accipere vero signum egestatis, ait S. Aug. I. III. contra Maximin. c. XIV. Secundo, quia beator est impartientis largitas, quam accipientis penuria, inquit Cassianus, I. X. de instit. renunt. c. XVIII. illud enim signum liberalitatis, hoc vero necessitatis aut cupiditatis est. Tertio, quia major est beneficentis ad beneficiatum amor, quam hujus ad illum: quoniam ille nobilius operatur, ait Aristoteles IX. eth. qui et hinc concludit plus amare eos qui beneficia conferunt, quam qui accipiunt, utpote majus inde bonum consecuti. Ita a parentibus magis amantur filii, quam ab eis redamentur. Quarto, quia dans liberior est, accipiens obligatus est conferenti. Quinto, quia honorabilior est qui dat, vilior qui accipit, ait S. Hieronymus ad Nepotian. Dare est res regia ac divina, accipere plebeia et humana. Sexto, quia etiam utilius dare quam accipere. Qui dat, temporalia et corporalia dat, vicissim accipit æterna et spiritualia bona.

IV. Negligentes ac desidiosi, qui cum ad rationem officii sui non utantur membris suis, non immerito paralytici reputari possunt. Hujusmodi sunt imprimis magistratus aliqui, qui subditorum et negotiorum sibi commissorum nullam curam habent, sed omnia pessum ire sinunt, dummodo ipsi bene habeant. Talem magistratum minatur Deus reprobis in pœnam, Zach. XI. cum jubet prophetam induere habitum et personam pastoris stulti, Judæis præponendi. Quæ vero hujus pastoris acta sunt? « Derelicta non visitabit, dispersum non quaeret, et contri-

tum non sanabit et quod stat non enutriet, et carnes pinguium comedet et ungulas eorum dissolvat. » O pastor et idolum, derelinquens gregem? En tibi rectorem paralyticum cuius punitionem subdit mox propheta: *Brachium ejus ariditate siccabitur*, q. d. quia in officio suo arida brachia habuit et quasi paralyticus fuit; non exerendo vires ad plectendos malos et faciendum munus suum; idcirco arescet brachium ejus, hoc est, adimetur illi potentia et jurisdictio. Dixit quidam auctor politicus: « Quinque declarant rempublicam bene aut male habere, primo, aedes precum: secundo, curia: tertio, schola: quarto, forum: quinto, horologium. Prout hæc bene aut male habent et reguntur, ita et respublica erit. » Quando igitur templum patet esse stabulum, curia esse tugurium pastorum, schola esse taberna aut sphæristerium vel Judæorum synagoga, forum esse palus aut cloaca, horologium esse lunaticum, nunc cito, nunc tarde ambulans; quid tunc de magistratu dicas? Nonne exclamabis: *O pastor et idolum!* O paralyticum magistratum!

Deinde, hæc paralyti laborant aliqui parentes, qui arida habent brachia, cum filii immorigeri verberibus plectendi sunt. Ita Heli sacerdos, qui audita filiorum perversitate, verbis solum et quidem blandis ac benevolis nimis eos reprehendit: *Noli filii mei, non enim est bona fama, quam audio, ut transgredi faciatis populum Domini*, I. Reg. II. Filios appellat, cum nebulones et tenebriones, carcinomata et catharmata, filios denique Belial appellare debuisset. « Ad hæc et minas ille addere debuerat et a suo eos conspectu amovere atque abdicare etiam, et verberibus afficere, multoque illis gravius et durius instare. Quia igitur nihil horum egit verborumque tantum monitis contentus fuit, et illis et sibi ipsi Deum adversum infestumque constituit, » inquit D. Chrysost. hom. IX. in epist. ad Cor. et I. III. adv. vitup. vitæ mon. Solon septem Græcorum sapientum unus et legislator privavit aliquando filium suo patrimonio, dum pater viveret; et patrem cum moriturus esset, sepultura, eo quod ille patri non obedisset et tamen hæreditatem judicio peteret: pater autem filium allegantem de mala instructione, non melius educasset.

Tertio, qui ad rem divinam Deique cultum tardi et inertes sunt. Quasi enim paralytin in pedibus habere videntur, qui fere ultimi semper in templo sunt, et mediam officii divini partem negligunt. In Java majore insula aves esse scribunt, apodas dictas, eo quod pedibus careant nec nisi in arboribus considereant, ut tradit Nicol. de comit. Num injuriam faciemus talibus para-

lyticis si eos dicamus apodas qui licet pedibus instructi sint iis tamen non utuntur ad Dei gloriam et suam salutem? Alii manus non habent vel certe dissolutas paralyti habent, qui ad templi cultum necnon ad altare toto anno nihil offerunt. Cum ad Dei offensionem, cum ad diaboli cultum, cum ad mundi pompam aliquid expendendum est, nullis sumptibus parcitur, nulla mora trahitur. Videte quæso Hebræos. Hi cum in deserto peterent ab Aarone conflari sibi deos, Aaron ut eos ab hac insaniam averteret, postulavit in hoc opus omnes illorum inaures aureas, auribus detrahendas, etiam uxorum, filiorum et filiarum, existimans eos non tradituros tam pretiosa et chara monilia. At vicit eorum improbitas et præpostera liberalitas, etiam mulierum alias suarum rerum, ornatus præsertim, tenacissimarum, quodque magis mireris, abstractas sibi inaures ipsimet ad Aaronem detulere, Exod. XXXII. At cum ad Dei veri altare vel templum aliquid offerendum est; turuncii jactura ploratur: ad carnis voluptates, ad pompam, ad luxum manus habent et quidem expeditas: ad promovendum Christi cultum manibus carent suntque paralytici. Quin et aliqui indignari audent cum ad templi ornatum aurum aliaque pretiosa adhibentur, similes Alexandro Rom. imperatori, qui ne auri guttulam quidem aut bracteolam in templo reponi voluit, susurrans illud Persii: *In templo quid facit aurum?* Et hoc ut avaritiam suam pallient. Alii toto corpore paralytici videntur, qui magnam dierum, etiam festivorum, partem somno et pigritia perdunt, non minus lecto affixi, quam hodiernus paralyticus. Hinc non modo pretiosum tempus, sed et res divina sæpius negligitur et habitus pigritiæ quasi paralyti contrahitur, qua sit homo ignavus ad omne opus bonum ac honestum, pronus ad malum; quia: *Nihil agendo, male agere perdiscimus*, ait Cato.

Sed quod huic paralyti remedium dabimus? quod Christus paralytico dixit: *Surge*, et impera tibi, adhibe conatum ut e pigritiæ ceno elucteris; quia non tam in lecto, quam in sepulcro jaces: *Pigritiæ enim vivi hominis sepultura est*, ait Themistocles. Quinetiam in sepulcro gravis peccati jaces, cum acediæ indulges. Si in serpentum fovea jaceres, quam repente, putas, surgeres? At nonne majoris periculi est, in peccato jacere, quam in ejusmodi antro? Surge igitur ad opus, et si vires deficient, invoca Deum ut tibi manum porrigat: *Torpor ex imperfecta voluntate oritur; mox ut bonum velle cœperis, ardor erit atque impetus*, inquit Petrarcha. Deinde: *Tolle lectum tuum*, corpori tuo vim affer et coge ad laborem et operationes bonas: *Experimento enim probatum est*, inquit

Cassianus, I. X. de instit. mon. c. XXV. *acediæ impugnationem non declinando fugiendam, sed resistendo superandam*. Quod si opere inchoato difficultas aliqua obrepit, in eo prosequendo fortiter persiste, quia progressus laborem reddet levio-rem. Unde Bern. serm. XII. in Cant. « Cum te torpore, inquit, acedia vel tædio affici sentis, noli propterea diffidere aut desistere a studio spirituali: » et mox: « Si perseveraveris, tristitia tua convertetur in gaudium. » David initio arma Saulis gestare non potuit, quia usum non habuit; postea militiæ assuetus, non arma tantum ferre, sed et gladium Goliath grandem et ponderosum scite tractare novit. Tolle igitur lectum, vince ignaviam tuam, gesta inertem carnem, quæ prius te gestabat. Denique: *Vade in domum tuam*. Quænam illa domus? Domus æternitatis: *Quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ*, inquit Ecclesiastes, c. XII. Vade igitur mente et cogitatione ad sepulcrum tuum, ad tribunal judicis, ad domum gloriæ vel gehennæ; et facta hac consideratione incipe dormire, incipe otari et ducere in bonis dies tuos. In vitis patrum, dist. II. §. CIII. « Frater quidam a sene Achille rogavit, cur sedens in cella pateretur acediam? Cui senex ait: Quia nec dum vidisti requiem, quam speramus, nec tormenta quæ timemus: si enim ea diligenter inspiceres, etiam si vermibus plena esset cella tua usque ad cælum, tu tamen in ipsa jaceres sine acedia. » Simillimum est quod in prato spirit. scribit Joannes Moschus, cap. CXLII. abbatem Alexandrum fratri acedia victo dixisse: « Si in cella tua sollicite cogitares regnum cœlorum et cruciatum æternum, in cella tua acediam non sentiret. »

V. His quasi pro auctario addamus purgatorii animas. De his enim dicendum mihi videtur prorsus, quod centurio nuntiavit Christo: *Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur*. Pueri sunt purgantes animæ propter innocentiam, quia a culpa liberæ, tametsi nondum a pœna. Jacent deinde; sed heu quo in lecto? In lecto Laurentiano, in craticula et cendentibus carbonibus. Sed in qua tandem domo? In domo horroris et vastæ solitudinis. Nihil ibi cernere est, nisi cruciatus et tormenta: nihil ibi audire, nisi gemitus et ploratus: nihil ibi gustare, nisi amaritudines: nihil ibi tangere nisi rogos et ignes. O domum luctuosam! Et quales ibi degunt animæ! Omnes paralytiæ, omni membrorum usu, hoc est, bene merendi facultate destitutæ, quia in viæ termino, extra merendi statum sunt. Non igitur semet juvare, non de latere in latus vertere, non manum ad os ducere possunt: totæ ab aliis pendent et nostram expectant opem. Deni-

que, male torquentur, quia duplici tormento et gravissimo quidem. Primum, provenit ex pœna damni, quæ maximum eis dolorem ex quadruplici creat capite. Primo, quod videant se ad tempus summo privari bono, et quidem eo tempore, quo fruendum illo erat; acerrime apprehendunt illius boni immensitatem simulque id ardentissime desiderant: secundo, quod videant se ob culpam suam ab eo arceri: tertio, quod neglexerint pro culpa suo tempore satisfacere, cum facillime potuissent: quarto, quod ingentes æternorum bonorum thesauros et cœlestis gloriæ gradus, quos consequi potuissent, sua culpa et tepore neglexerint. Alterum ex pœna sensus prodit; quæ triplici ratione acerbissima est. Primo, ratione acrimoniæ et intensionis ignis purgatorii, quæ longe major est acrimonia ignis nostri elementaris, si ss. patribus fidem damus: inter alios ven. Beda in Ps. XXXVII. et vers. I. *Domine, ne in furore tuo arguas me. Nec immerito*, inquit, *tantum timet (David) hanc correptionem (purgatorii ignis) quia attendit eam esse graviolem, quam quidquid unquam passi sunt latrones vel sancti martyres*. Secundo, ratione durationis; plurimæ enim animæ ad longum tempus ibi detinentur, uti indicat Ecclesia cum anniversariis defunctorum. Pœna ignis in hac vita non potest esse diuturna; at ibi poterit esse, quia anima nequit mori nec amittere sensus vigorem et vivacitatem; quæ tunc extra corpus, adeoque sola patitur. Tertio, ratione continuationis in eodem statu. Cruciatu in hac vita paulatim mitescunt, deficientibus sensim spiritibus animalibus dissolutoque temperamento: non item in altera vita, ubi anima non utitur opera spirituum, sed ipsa per se immediate excipit vim cruciatuum. In doloribus hujus vitæ crebra interruptio est, per somnum, per colloquia amicorum, per varias mentis distractiones. Nihil horum in purgatorio.

Quid igitur, auditores? Quid hic faciendum nobis? Quid agendum cum his paralyticis? Mereri nihil possunt: accedere ad nos non possunt: clamare ad nos non possunt. Nonne igitur ipsorum loco exemplo centurionis illius Christum nos adibimus precantes: Domine, pueri nostri, fratres nostri, parentes nostri jacent in domo paralytici et male torquentur? Nonne imitari nos decet viros illos, qui hodiernum paralyticum gestarunt et quidem perrupto tecto demiserunt ad Christum Dominum? Stemus igitur simul, efringamus cœli tectum nostris orationibus aliisque piis operibus quo tandem parentes, fratres et sorores nostras ad conspectum Dei inferre possimus, unaque cum ipsis aliquando æternum sociari.